

173.

A. 7.

Disputationum Juridicarum
DECIMA QUINTA
DE
USUFRUCTU,

M
301
12

Qua

Permiffu Magnifici Dnⁱ Ordiniarii, Ampliffimi Dnⁱ Senioris, nec non cæterorum Confultiffimorum inclutæ Facultatis Juridicæ in almâ Philurcâ Adffeforum,

3

Ad diem 24. Martii

In Acroateriô Collegii Petrini publicè habebitur,

PRÆSIDE

MICHAELE WIRTH,

PHIL. & J. U. D.

RESPONDENTE

GEORGIO Grunewaldt/
OSSITIENSI,

LIPSIÆ

Typis GREGORII Ritschens/
Anno M. DC. XLIII.



Disputationum Juridicarum
DECIMA QUINTA

DE
USURIS

Permissu Magnifici Dni Ordinis
Magistri Augustini Dni Senioris, nec non
Magistri Godefridi Dni Senioris Facultatis
Juris in Alma Universitate
Lipsiensi

In Auditorio Collegii Petri
publice habita

MICHAEL WIRTH

GEORGIO GUMPERT



THES. I.



Um in omni, quæ de re est, disputa-
tione unanimi non Philosophantium modò;
sed & Jurisperitorum consiliò ab ἐρμηνεία τῆς
ὀνόματ^{ος} auspicandum, religio nobis esset
à consiliò tam salubri recedere, & receptum
Disputantium morem, etymologiam & homo-
nymiam vocabuli in frontispiciò indagantium, hâc vice migrare.

II. Ususfructus (de quò nostra disertatio) nomen ex com-
positis esseprehendimus, & originem habere, ex combinatione
vorum usus & fructus, quorum illa descendit à verbo uti, quod
utilitatem ex re capere significat: hæc juxta *Varronem l.4. de*
Ling. Lat. derivatur à ferendo res, & has, quas fundus; & has, quæ
in fundò feruntur, ut fruamur.

III. Est autem hoc nomen ususfructus πολύσημον, & diver-
sæ in jure nostrò notionis. Aliquando enim usurpatur generali-
ter pro quâlibet facultate percipiendi res, quæ ex servitute perso-
nali deberi possunt, sive illa utendo non minuatur, sive vicissim,
utendo consumatur, §. *ususfructus. 1. ff. de usufr. l. sed et si possessori.*
11. §. item si jur. a vero. 2. ff. de jurejur. T.T. de usufr. ear. rer. quæ usu
consum. Vicissim ususfructus appellatur, in *l. si habitatio. 10. §. sed*
si. 2. ff. de usu & habit. l. cum antiquitas. 13. C. b. t. servitus illa perso-
nalis, quæ aliàs usus dicitur, & peculiarem ab usufructu (de quo no-
bis sermo) speciem constituit, *d. l. 13. C. de usufr. T.T. 7. §. ff. de usu*
& habitazione.

IV. Idem nomen non infrequenter acceptum legitur pro par-
te domini integrante, sive exercitio Juris dominici in percipien-
dis fructibus, quæ res propria tulit, §. *cum autem. fin. 7. b. t. l. usus-*
fructus. 4. ff. eod. l. cum in fundo. 78. pr. ff. de jur. dot. l. si eum. 21. §. si fun-
dum. 3. ff. de except. rei jud. l. si ita. 126. §. Titius. 1. ff. de V. O. l. si à reo. 70.
§. si reo. 2. ff. de fidejussoribus. & ita quandoq; vocabulò ususfructus

ipsa proprietas significatur, *l. species auri. 15. ff. de auro & argent. leg. Meier. in Coll. Argent. lib. 7. T. 1. tb. 2.*

V. Sed propria maximè & instituto nostro conveniens acceptio vocis usufructus est illa, quâ designatur Jus sive facultas percipiendi fructus rei alienæ, à proprietate separata, & usu non consumptibilis, jure servitutis personalis, *pr. J. de usufr. l. 1. ff. cod. & toto libro 7. Digestorum.*

VI. Ex istis autem posterioribus duabus acceptionibus vocabuli usufructus nata est distinctio ejus apud *Gl. & Dd.* in Causalem & Formalem. Causalis dictus est usufructus, qui partem integram domini facit, seu ubi dominium cum usufructu conjunctum est: Formalis verò, qui à proprietate est separatus, sive ubi proprietas est apud alium, & apud alium usufructus. *Castill. de usufructu c. 1. n. 2. Pinellus in part. 2. l. 1. C. de bonis matern. n. 9. Sichardus in Rubr. C. h. t. n. 6. Cujacius in l. 58. ff. de V. O. Barbosa in l. 58. ff. sol. matr. n. 1.*

VII. Quamquam verò à recentioribus Juris interpretibus hæc distinctio impugnetur, defendi tamen potest, non quidem ut divisio generis in species, (alias sub eodem genere comprehenderentur, quæ differunt,) sed tanquam distributio vocabuli diversæ significantis in sua significata. *Alciatus ad l. 25. de V. S. n. 2. Eman. Suarez. in annot. ad Gomezii var. resol. lib. 2. c. 15. lit. b. Hilliger. in Donell. enucl. lib. 10. c. 2. lit. b.*

VIII. Cognitò jam, quid per vocabulum usufructus intellectum hoc locò velimus, res ipsa tractanda est. Ubi sciendum, usum fructum dupliciter posse & debere considerari, ut adquirendum, item quæ; ut adquisitum. Ut adquirendus *ἔτιχόν τι* sive in relatorum classe positus est: Ut adquisitus qualitatibus sive facultatibus moralibus accensetur.

IX. Ea quæ; propter de usufructu secundum indicatum distinctum considerandi modum distinctè jam agemus, confusionis vitandæ causâ.

SE-

S E C T I O I.
D E
U s u f r u c t u a d q u i r e n d o .

T H . X .

IN usufructu consideratō ut - adqvirendō perpendi debent, quæ in tractatione τῶν πρὸς τὴν πρᾶξιον præscribunt Logici, nimirum subjectum πρὸς τὴν ἀκίνητον, utriusque fundamentum, & fundandi ratio.

XI. Subjectum usufructus πρὸς τὴν πρᾶξιον est res, in quâ commodè usufructus constitui potest, *l. est enim. 2. l. 15. §. 6. ff. h. t.* i. e. quæ utendo non absimitur, sed post usum superest, corpore suō integrâ & usioni apta, §. 2. 7. *de usufr.* Etenim regula est, usumfructum in omnibus rebus in patrimonio nostrō contentis, quarummodo salvâ substantiâ usufructus esse queat, constitui posse. *Castill. de usufr. c. 49. n. 1.*

XII. Res istæ sunt vel soli, vel mobiles, *l. 1. §. 1. & generaliter. 4. ff. de vi & vi arm. l. si chorus. 79. §. 1. ff. de leg. 3.* certissimum autem usumfructum tam in mobilibus, quàm immobilibus consistere posse, *l. omnium praediorum. 3. pr. & §. constitit. 1. l. usufructu. 7. pr. ff. h. t.*

XIII. Res immobiles, in quibus usufructus constituitur, sunt tam prædia urbana, veluti ædes, *d. l. 3. §. 1. d. l. 7. §. rei soli. 1. ff. h. t.* balnea tabernæ, diatæ, *l. si cui. 12. ff. quibus modis usufr. amitt.* quàm prædia rustica, v. g. horti, *l. cum usufructus. 24. in pr. ff. quibus modis usufr. amitt. arvi. l. quid tamen. 10. §. non tamen. 4. ff. eod. sylvæ, d. §. 4. & l. 10. ff. de usufr. stagna, l. 10. §. sed & si. 3. ff. quibus modis usufructus amittitur.*

XIV. Prædium autem ita comparatum esse oportet, ut ex illō aliqualem utilitatem capere possit usufructuarius; in fundō enim sterili, vel fœneō, uti loquitur *l. 3. C. Theod. de indulg. deb.* aut fœneâ possessione, *Nov. 7. c. 17.* Usufructus inutiliter constituitur, ex generali naturâ omnium servitutum, tam personalium, quàm realium, quæ in rebus inutilibus nequeunt subsistere, *l. statua. 41. §. 1. ff. h. t. l. quoties. 15. ff. de servit. Castill. de usufr. c. 49.*

A 3.

XV.

XV. Res mobiles ususfructus capaces sunt, puta servi, *l. si ser-
vi. 21. cum LL. seqq. ff. h. t.* quorum fructus in operis consistit, *l. fructus
hominis. 4. ff. de operis serv. greges & armenta, §. sed si gregis. 38. 7. de
R. D. l. vetus fuit. 68. §. planè. 2. ff. h. t. l. grege. 21. ff. de leg. 1. apes, l. item si
fundi. 9. §. & si. 1. ff. h. t.* redditus ex aucupio & venatione, *d. l. 9. §. 5. l.
usufructuariam venari. 62. ff. eod. Modestini Pistoris illustr.
quest. p. 1. q. 15.* fructibus annuis seu redditibus, *l. si quis. 20. ff. h. t. l. cum
ita. ff. de usu & usufr. leg. Conanus lib. 4. Com. jur. civ. c. 3. n. 4. Pi-
nellus p. 2. l. 1. C. de bon. matern. n. 12.*

XVI. Amplius ususfructus consistit & in his rebus, ex quibus
commoditas qualiscunque ad alterum redundat, ut in numisma-
tibus aureis & argenteis veteribus, item gemmis, quibus ad orna-
tum uti solemus, *l. numismatum. 28. ff. h. t.* statuīs & imaginibus, *l.
statue. 41. pr. ff. h. t.* & vasis, *l. si vasorum. 12. ff. usufructuarius quemad.
cav.* etiam vitreis vel Crystallinis, quæ ob fragilitatem materiæ
utendo consumi videntur. *arg. d. l. Meier in Colleg. Arg. tit. 7.
l. 7. th. 20.*

XVII. Incidit tamen hîc dubium de vestimentis, de quibus
non est unanimes Dd. sententia; Aliqui enim in vestimentis regu-
lariter verum usumfructum esse statuunt; alii indistinctè negant.
Nos mediam viam ambulandam ducimus, (quod in dubiò faci-
endum, §. cum ergò. 7. 7. qui & ex quib. caus. manum. l. adeò quidem. 7.
§. cum quis. 7. ff. de A. R. D. l. Valerius Petronius. 50. ff. de jur. fisc.) ac ve-
stimentorum & verum & quasi usumfructum esse diversimodè
consideratum statuimus.

XIIX. Verum usumfructum in vestimentis tùm consistere
dicimus, cùm ille ut corporis ususfructus relinquitur; (ejus enim
rationem habere valet *arg. l. nuper. 85. ff. de leg. 3. §. fin. 7. de locat.*) de
quò loquuntur textus in *l. sed si. §. & si. 4. ff. de usufr. l. si ususfructus. 9.
§. si vestis. ff. usufruct. quemad. cav.* Ex adversò quasi ususfructus est
censendus, quando legatur ut quantitas, (numerò enim æstimari
possunt, *l. si in rem. 6. ff. de R. V.*) de quâ loquitur §. *constituitur. 2. 7.
h. t.* tunc autem ut quantitas habetur, quoties id actum est, non ut
eadem in specie reddantur, sed in genere, quod facile fieri potest,
cùm ex materiâ fungibili consistat, *l. pen. ff. de usufr. ear. rer. & usu-*

rae

ræ pro illis dari possint, non secus ac pro aliâ re fungibili, *l. pro aurô. 25. C. de usuris. Timæus Faber in disp. annivers. disp. 15. tb. 12.*

XIX. In cæteris autem rebus, quæ usu consumuntur, regulariter nec verus, nec quasi usufructus, sed nudus usus constitui valet, *l. quoniam. 10. §. si usus. 1. ff. de usufr. ear. rer.* qui tamen potius abusus dicendus est, ut loquitur *Schneid. ad §. 2. f. h. t. Conan. lib. 4. Com. jur. civ. c. 4. n. 1.* siquidem assiduò usu consumuntur, & ita deteruntur, ut non amplius reliquæ maneat.

XX. Verùm eùm ex strictâ juris ratione promaneant, Senatus humanitatem secutus introduxit, ut rerum quoque fungibilium sit usufructus, & utilitatis causâ quoad effectum pro verò reputetur, *§. constituitur. 2. f. de usufr. l. senatus. 1. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* Unde placuit Dd. ut quasi seu improprius usufructus nuncuparetur, *Glosa in l. omnium. 3. ff. de usufr. Sicbardus in l. 1. n. 2. C. eod. Lycklama lib. 7. Memb. Eclog. 29.*

XXI. Differentia utriusque usufructus proprii & improprii cernitur in eò, quòd in propriò usufructu dominium rerum, quæ in usufructu sunt, in usufructuarium non transeat, sed maneat penes proprietarium, ad quem etiam rei interitus, si res absque culpâ usufructuarii perit. In impropriò verò dominium simul cum usufructu transeat, quapropter si res consumpta sit vel interiit, usufructuarius novam substituere, & proprietario finitò usufructu reddere obstrictus est, *l. si vini. 7. ff. de usufr. ear. l. Julianus. 9. §. Marcellus. 4. ff. ad exhib. l. species auri. 15. ff. de aur. & arg. leg. Molina Tr. de just. & jur. Tom. 1. Tract. 2. disp. 7. n. 11.*

XXII. Consistit autem iste quasi usufructus in rebus fungibilibus, hæ enim usu consumuntur, ut sunt edulia, vinum, frumentum, *§. constituitur. 2. f. de usufr. l. si vini. 7. ff. de usufr. ear. rer.* medicamenta, odores, aromata, lanæ, *l. si lanæ. 11. ff. eod.* His quoque accensentur nomina, *l. post quod. 3. ff. d. t.* pecunia numerata, quæ licet usu non pereat, cùm corpora maneat etiam post usum salva in substantiâ suâ, attamen, ut loquitur Imp. in *§. 2. f. h. t.* cum assiduâ permutatione quodammodo extingvatur, & ob hanc causam consumi videatur, *l. Julianus. 30. ff. de pet. her. Donellus Com. jur. civ. lib. 10. c. 4.*

XXIII.

XXIII. Fundamentum subjecti $\pi\epsilon\acute{o}s$ $\pi\iota$ ponimus in qualitate illâ rei, ex quâ fructum usumq; præbet talem, qui salvò corpore alii, quàm domino applicari & adquiri possit, *l.1.ff. b.t. §.2. 7.eod.* nec intereat, sed quamdiu substantia salva est, eodem semper conjunctus sit, *l. est enim.2. ff. b.t. Theoph. ad pr. 7.b.t. Porcius ad d. pr. in verbis salva rerum substantia.*

XXIV. Hanc qualitatem verè habent res eæ, in quibus verus constituitur usufructus: at res, quæ ex SCtò usufructum præbent, per fictionem quandam ejus fiunt participes per cautionem tutam quasi usufructuariam, à Senatu introductam, quâ cavere debet usufructuarius istiusmodi, se rem, quam accepit, restitutum, vel, si non extet, ejus æstimationem, *l.2.7.9. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu &c. VVesenbecius in paratit. ad d. t. n.1. de quâ cautione pluribus infra.*

XXV. A subjectò $\pi\epsilon\acute{o}s$ $\pi\iota$ ejusq; fundamentò pergimus ad subjectum usufructus $\alpha\upsilon\lambda\iota\sigma\tau\epsilon\phi\omicron\nu$, quod est persona, cui usufructus adquiritur, *l. usufructus. 6. §. adquiritur. l. an usufructus. 56. ff. de usufr.* semper enim determinata persona adesse debet, quæ uti frui possit, quamvis non semper actu utatur, *l. usufructus. 26. ff. de stip. serv. Cujacius ad l.4. ff. de servitut. Castill. de usufr. c.11. n.23.*

XXVI. Fundamentum autem illius situm est in habilitate personæ, cui usufructus destinatur, quæ est nihil aliud, quàm facultas percipiendi utilitatem, vel qualemque commoditatem ex re, in quâ usufructus constitutus est, *l. statua. 41. in pr. ff. de usufr.*

XXVII. Hanc facultatem aliquæ personæ plenam habent, aliquæ minus-plenam. Plenam illæ, in quibus non solum substantiam capit adquisitio usufructus, sed quæ etiam emolumentum attinet perceptio realis: Minus-plenam hæ, in quibus substantiam tantummodo capit adquisitio usufructus, effectus verò alias tangit, sive perceptio commodi per ipsas ad alias reipsâ redundat, *arg. l. quicquid. 2. C. de bon. matern.*

XXVIII. Prioris generis personæ sunt Patresfamilias sui juris; *pr. Inst. per quas pers. nobis adquiritur. pr. Inst. per quas personas nobis obligatio adquiritur.* sive singulis de usufructu prospiciatur, sive pluribus: nam & plures unius rei usufructum conjunctim

etiam adquirere possunt. *l. quoties. 34. pr. ff. h. t. l. Sempronius. 26. §. si fundus. 1. ff. de us. & usufr. leg.*

XXIX. Huc quoque referendus est socius usum fructum rei communis à sociò accipiens, *l. si servi. 10. ff. usufr. quemad. cav.* nec non maritus, cui ab uxore, *l. si ususfructus. 1. l. interest. 6. C. h. t. & e-* contra uxor, cui à maritò ususfructus relinquitur, *l. si pater. 5. l. ambiguitatem. 12. C. eod.* Conductor item, cui à dominò ususfructus conducti fundi legatus est; qui rectè illum ab hærede petit; nec mercedem in lege conductionis definitam solvere ampliùs tenetur. *l. quoties. 34. §. si colono. 1. ff. h. t. l. cui ususfructus. 30. §. colono. 1. ff. de usu & usufr. leg.*

XXX. His etiam accensetur Hæres, cui à testatore ususfructus prælegati nomine datus est deductâ proprietate, quæ cum aliò hærede communis manet, *l. ususfructus. 6. pr. & §. 1. ff. h. t. l. quoties. 1. §. Julianus. 4. ff. de usufructu accrescendò. l. antiquitas. 14. C. de usufr.* Id quod extenditur ad hæredes fructuarii, si in testamento simul ususfructus à testatore hæredibus ejus relictus est. *l. repeti potest. 5. in pr. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. stipulatio. 38. §. sed si. 12. ff. de V. O.*

XXXI. Jure insuper patrisfamiliàs quoad acquisitionem ususfructus utitur Ecclesia, ac monasterium, *arg. l. ut inter. 23. pr. C. de SS. Eccles. Glossa in l. fin. C. de usufr. Petrus Gregorius in Syntag. juris lib. 4. c. 5. n. 17.* itemq; Civitas vel Communitas. *l. an ususfructus. 56. ff. h. t. l. si usufr. 21. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. si usufructus. 8. ff. de usu & usufr. leg. Conanus Com. jur. civ. lib. 4. c. 6. n. 5. Bachovius in not. ad Treutl. vol. 1. disp. 16. tb. 15. lit. a.*

XXXII. Posterioris generis personæ sunt, quæ potestati alienæ subduntur, ob quam, quicquid hæ acquirunt, illorum lucro cedit, in quorum sunt potestate. *pr. Inst. per quas pers. nob. adquiretur. l. adquirentur. 10. pr. ff. de A. R. D. l. placet. 79. ff. de adqvir. vel amitt. her.*

XXXIII. Potestas talis gemina est, una patria, altera herilis, *pr. Inst. per quas pers. nob. adquiretur. l. de jure. 1. §. igitur. 1. l. item in potestate. 3. ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt;* Illius virtute per liberos patri commodum ex usufructu à liberis adquisito debetur:

B

l. pa-

l. patre furiosô. 8. §. adeò autem. 1. ff. d. t. l. ejus quod. 2. C. de patr. potest. l. 3. C. de bon. quæ liberis; hujus jure per servos, dominus usumfructum adipiscitur. l. si servi. 21. l. sed etsi. 22. ff. b. t. l. fin. C. de usufructu. Schneidevvein ad §. 1. Inst. b. t. n. 5.

XXXIV. Et regulariter quidem, in personam servi adquisitio usumfructus substantiam omni capit tempore, ad hoc, ut utilitas statim domino suo quæ sita sit: speciale quid tamen obtinet in servum hereditario, qui ante aditam hereditatem heredi non acquirit usumfructum, *l. 1. §. 2. ff. quando dies legati ususfr. ced. sed eam demum aditam adquisitio servi heredi prodesse incipit. l. si servus. 18. ff. quib. mod. ususfr. amitt.*

XXXV. Personis in potestate civili constitutis ad simulantur suppositi potestati spirituali, monachi scilicet & religionem professi; Etenim cum nihil proprium possideant, *c. cum ad monasterium. 6. X. de statu monach.* sed in ipso ingressu monasterium bonis suis beent, *auth. ingressi. C. de SS. Eccl.* inde fit, ut jus usumfructus residat apud ipsos, commoditas verò ex eò jure in monasterium redundet. *arg. l. si postulaverit. 27. §. jubet Lex. 11. ff. ad L. Jul. de adult. Gl. Bartol. & Dd. communiter in auth. ingressi. C. de SS. Eccles.*

XXXVI. Post hanc subjectorum & fundamentorum usumfructus constituendi considerationem jam reliqua est ratio fundandi, per quam fundamentum ex parte subjecti *πρός τι* applicatur subjecto *ἀντιστάσει*, quæ quæ actu aliquò externò declarari ac exponi solet.

XXXVII. Hanc nobis insinuant modi, quibus usumfructus constituitur. Horum duo summa genera, ordinatio legis, aut qui instar legis haberi potest iudicis; & dispositio jure domini possidentis. *Donellus lib. 10. Comm. c. 3. Castillo de usufr. quæst. 2. Garfias de expensis & meliorat. c. 11. n. 1. Molina de just. & jur. Tom. 1. Tract. 2. disp. 9. n. 1.*

XXXVIII. Legis ordinatione constituitur usumfructus, quando nullis pactis vel stipulationibus intervenientibus, solâ auctoritate legis defertur adquirenti. *Hunnus Tract. de usufr. p. 2. sect. 1. tit. de usufr. legali.*

XXXIX.

XXXIX. Hôc modô patri, jure potestatis patriæ, *l. patre furiosô. in fin. ff. de his, qui sui vel alien. jur. sunt*, datur ususfructus bonorum filiifamilias, eorum puta, quæ neque è substantiâ parentis, in cujus sacris est, veniunt, (hæc enim patris sunt;) neque à filio ratione militiæ vel armatæ, vel togatæ acquisita; *l. 14. C. de advoc. divers. judiciorum*. (ista enim plenô jure filius adqvirit, *l. filiusfamilias. i. ff. de Castrens. pecul. l. cum oportet. 6. §. 1. & 3. C. de bon. quæ liberis.*) sed, quæ aliunde filio adveniunt, quæ peculii adventitii nomine insigniuntur. *dict. ll.*

XL. Equidem prisco Romanorum ævo patris plenô jure erant bona ista filii adventitia, verùm subsequitis temporibus jus hoc patris sensim ab Imperatoribus imminutum fuit. Et primus Imper. Constantinus filiifamilias dominium bonorum maternorum, concessit, patri nudô usufructu relicto, *l. 1. C. de bon. matern. Scipio Gentilis de bon. matern. c. 5.* idem jus postea alii in bonis avi & aviæ restituerunt, *l. 2. C. de bon. quæ liberis*, donec à Justinianô generali constitutione ad omnia bona adventitia deductum est. *l. cum oportet. 6. C. de bon. quæ lib.*

XLI. Atq; hæc Juris civilis dispositio viget adhuc hodiè & in forô Saxonico, ex quâ usufructus omnium bonorum sive ab intestatô, sive testatô filiis obvenientium patri adqviritur, usq; ad separationem eorum à lare paternô, & propriæ institutionem familiæ, quæ jure Saxonico emancipationis locô habetur: *Const. Elect. 10. p. 2. Landr. art. 11. lib. 1. Mollerus lib. 2. semestr. 26. Heigius p. 2. quest. 12.* in tantum, ut quamvis filius peregrè vivens non à patre, sed aliunde sustentationem habeat, nihilominus patri usufructus debeat, *Cl. Carpzov. in d. Const. def. 7. n. 8. & 9.*

XLII. Limitantur tamen prædicta, adimiturq; patri usufructus in bonis filiifamilias quinque modis. 1. Si avus testamentô suo patri usumfructum auferat: *auth. excipitur. C. de bon. quæ lib.* quinimô hodiè per quoscunq; filio aliquid conferentes patri usufructus adimi potest, *Nov. 118. c. 1. Cl. Carpzov. ad Const. El. 10. p. 2. def. 10. & 11.* 2. Si filius cum patre simul succedat in hereditatem fratris vel sororis. *Nov. 118. c. 2.* 3. Si servus hæc lege datus sit, ut statim manumitteretur. *l. fin. C. de bon. quæ lib.* 4. Si filius sibi

relictum, renuente patre, accipiat. *d.l. fin. §. ubi autem. 6. vers. fin. vè-
rò pater. C. eod. §.* Si ususfructus certæ rei filio relictus, hunc enim
pater non adqvirit, quia servitus servitutis inutiliter constituitur.
*l. nec ususfructus. 1. ff. de usu & usufr. leg. Molina de J. & J. Tom. 1.
Tr. 2. disp. 8.*

XLIII. Amplius ex dispositione legis retinet pater dimidiam
partem ususfructus in bonis filii emancipati; Vetustissimò enim
jure, omnia bona adventitia ante emancipationem adqvisita pa-
tris erant, nisi in ipsò emancipationis actu pater ea donâsset: §.
*boc quoq. 2. Inst. per quas pers. nob. adqviritur. l. donationes. 31. §. pater.
2. ff. de donat.* postea tertia pars bonorum cum proprietate patri e-
mancipatori cesit: *l. cum oportet. 6. §. cum autem. 3. C. de bon. quæ lib.
tandem Justinianus dimidiæ partis bonorum usumfructum in
præmium emancipationis patri largitus est. d. l. 6. §. 3. Scipio
Gentilis de bon. matern. c. 7. Donellus lib. 10. Com. c. 3.*

XLIV. Similiter lege ordinante matri, quæ ad secunda vo-
ta, superstitionibus adhuc liberis, transit, ademtâ proprietate, quæ ex
dote, donationibus ante nuptias, sponsalitiâ largitate, prioris ma-
riti, legatis & hereditatibus, durante priore matrimonio, adqvisi-
vit. *l. femina. 3. cum authenticis tribus sequentibus. C. de secundis nu-
ptiis.* Consolidatur tamen hic ususfructus vicissim cum proprie-
tate decedentibus liberis prioris matrimonii. *l. generaliter. 5. in pr.
C. de secundis nupt. Corasius lib. 3. Misc. c. 1. Gail. lib. 2. obs. 98.*

XLV. A lege est etiam ille ususfructus, qui per jus accrescen-
di constituitur, hòc modò: quando certis personis conjunctim
ususfructus legatus est, ita ut conjunctim pro unâ habeantur per-
sonâ, *l. planè. 34. in pr. ff. de leg. 1.* & si aliquæ deficiunt, tunc portio
vacans ipsò jure conjuncto accrescit. *t. t. ff. de usufr. accresc.
Vvesenbecius in paratit. ibid.*

XLVI. Legis instar haberi supra diximus Judicem, hic enim
non secus atq; lex usumfructum defert, unicò tamen in casu, in ju-
diciis nempe divisoriiis, familiæ eriscundæ, & communi divi-
dendo, *l. ususfructus. 6. §. constituitur. 1. ff. de usufr. & quidem in his re-
bus duntaxat, quæ non communi specie continentur, i. e. quæ pon-
dere*

dere & numerò dividi non possunt, *l. cum sicutus in fin. ff. de solut.*
Expedi autem hoc adjudicatione, quæ facit usumfructum proprium ejus, cui adjudicatur. §. 7. *Inst. de off. jud.*

XLVII. Porrò; dispositione domini constituitur, cum is, qui rem jure domini possidet, factò suò jus percipiendi fructus & utilitatem omnem ex re istà (quod pars domini integrans aliàs est, *l. 4. ff. de usufr.*) confert in usufructuarium. Unde apparet, necessariò hîc requiri, ut is, qui usufructum constituit, sit dominus rei, i. e. ut habeat ejus rei proprietatem cum usufructu simul conjunctam, *l. uti frui. 5. ff. si usufructus petetur*, nec potestas alienandi ipsi sit denegata. *l. sed si. 3. §. nec usufructus. 5. ff. de reb. eor. quæ sub tutelâ l. sancimus. 7. C. de rebus alienis non alien.*

XLVIII. Non impedit tamen ejus constitutionem, si constituens non sit in solidum rei dominus, sed cum aliquò eam communem habeat. Etenim cuilibet jus est & potestas constituendi usufructum in re, quæ cum aliò ipsi communis, *l. si cujus. in pr. ff. h. t.* etiam si inæqualiter communis sit, & unus majore domini parte gaudeat, quàm alter. *l. si servi. 10. ff. usufruct. quem adm. cav.*

XLIX. Quod verò diximus, solum dominum rei habere potestatem constituendi usufructum, id limitatur in bonæ fidei possessore, cui ob bonam fidem æqvitatîs intuitu à prætore quoad hoc idem jus, quod vero domino, concessum est. *l. si ego. 11. §. si de usufructu. 1. ff. de publicianâ in rem act. l. non solum. 1. in pr. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. cum in longi. fin. C. de præscript. longi temp.*

L. Factum autem, quò dominus usufructus servitutem rei suæ conciliat, duplex est; ultima aliqua voluntas, *l. omnium prædiorum. 3. in pr. ff. de usufr.* & conventio quædam inter vivos. §. *si quis. 4. Inst. de servit. rust. & urb. præd. Wesenbecius in paratit. ad tit. de usufr. n. 9. Donellus lib. 10. Com. c. 5. Castillo de usufr. c. 10. Petrus Gregorius in Syntagm. Juris lib. 4. c. 5.*

LI. Ultimâ voluntate constituitur usufructus, quando in testamento solemni, aut in codicillis testator, deductâ proprietate, legat usufructum; (tunc enim heres habebit nudâ proprietatem, legatarius usufructum,) & vice versâ, legatario nudam proprietatem, usufructû verò heredi adsignat. *l. omnium prædiorum. 3. in pr.*

ff. de usufr. l. antiquitas. 14. C. eod. l. quidam referunt. 14. in pr. ff. de Jur. Codicill. Donellus lib. 10. Com. c. 5. Meierus in Colleg. Argentorat. lib. 7. tit. 1. th. 11.

LII. Conventione inter vivos constituitur usufructus partitionibus idoneis ad rem transferendam, *l. quasitum est. 37. ff. de usufr. l. stipulatio ista. 38. §. 10. 11. & 12. ff. de V. O. quales sunt donatio inter vivos, l. si quis. 35. §. sed si. C. de donat. vel mortis causâ, l. si cuius. 5. §. 2. ff. usufr. quemadm. cav. venditio, l. necessario. 8. §. cum usufruct. 2. ff. de peric. & commod. rei vend. locatio, l. si domina. 10. C. de usufr. l. si socrus. 18. C. de pign. l. 11. §. usufructus. 2. ff. de pign. dotis vè datio, l. dotis fructum. 7. §. si usufructus. 2. l. si usufructus. 66. l. cum in fundo. 78. ff. de jure dotium. & stipulatio. l. quasitum est. 37. ff. de usufructu.*

LIII. Hujus usufructus conventionalis proprium est, ut, secus ac aliæ servitutes, *l. servitutes. 4. ff. de servitut. vel præsens, vel ex die, vel sub conditione, & ad diem conditionem vè dari ac constitui possit: l. usufructus. 4. ff. de usufr. l. un. §. fin. ff. quando dies legati usufr. cuius specialitatis rationem cum Donellô lib. 11. Com. c. 10. existimamus esse istam, quòd, cum usufructus in factò & fruitio- ne consistat, ex die constitutus non potest naturâ suâ ullus esse ante diem, ante diem enim frui non licet: facta namqve futura naturâ & jure suspendi possunt. Quare cum nullus sit ante diem, nec vindicari potest. l. qui petitori. 36. in pr. ff. de R. V. quin nec deberi, quia res futuræ debentur sub conditione, si in rerum naturâ esse cœperint. l. 1. §. fin. ff. de cond. & demonstr. Conditio autem facit, ne antequam eveniat, debeat. l. cedere diem. 213. ff. de V. S.*

LIV. Necesaria tamen ad usufructus constitutionem perfectionemq; non est traditio; Etenim usufructus res est mancipi & incorporalis, *Ulpianus in fragmentis tit. 19. incorporalium verò nulla est traditio. §. per traditionem. 40. Inst. de R. D. l. ser- vos. 43. §. incorporalium. 1. ff. de A. R. D.*

LV. Subjectis itaqve fundamentis & ratione fundandi cognitis, usufructus definitionem nunc subjicimus, & dicimus, Usufructum esse jus personæ certæ in re alienâ, sine substantiæ diminutione ad utendum fruendum idoneâ, à lege vel dominò constitutum.

SE-

SECTIO II.

De

Usufructu adqvisitō.

TH. LVI.

Accedimus nunc ad alteram disquisitionis nostræ partem, considerationem nempe usufructus adqvisiti, quò respectu est jus, seu qualitas moralis, competens ad justè utendum fruendum re alienâ servitutis ejusmodi capaci; sicut in simili sensu jus quoque dicitur dominium, in *l. cum te. 6. C. de pact. inter emt. & vendit.* item patria potestas. §. *jus autem. 2. Inst. de patriâ potestate.*

LVII. Hæc autem usufructus consideratio potissimum absolvitur inspectione duorum actuum, Existentiæ scilicet, quomodo quis uti frui re usufructuariâ possit & debeat; & Privationis, quomodo vicissim usufructus amittatur, & cum proprietate reduniatur.

LVIII. In actu existentie duplex itidem actus attendi debet; Actus tranquillæ possessionis, & actus possessionis contentiosæ.

LIX. In tranquillâ possessione venit observandum exercitium juris utendi fruendi, quod consistit partim in commodis, quæ usufructuarius ex re fructuariâ percipit, partim in incommodis & oneribus, quæ ratione rei fructuariæ sustinet, ad hoc, ut res proprietario conservetur, nec à fructuariò deterioretur. *l. item si. in pr. l. si cuius. 13. in pr. ff. de usufr. l. damni infecti. 18. §. ei cuius. 2. ff. de damno infecto.*

LX. Unum commodum, quod habet Usufructuarius, est quasi possessio rei fructuariæ, habet enim usufructuarius solummodo jus in re, & quidem incorporale, quod verè possideri non intelligitur, *l. sequitur. l. 4. §. si viam. 27. ff. de usucap. l. quod est 3. §. qui usufructus. 17. ff. de vi & vi arm. l. in summa 4. ff. uti possidetis.* unde etiam in possessione esse, *l. si cujuscunque. 60. §. si fundus. 1. ff. b. t. & naturaliter rem tantum tenere, l. naturaliter. 12. in pr. l. possessio. 49. pr. ff. de adqvir. poss.* quin etiam retinendo usumfructum ministrum

strum se alienæ possessionis facere dicitur. *l. quid meo. 18. in pr. ff. d. t. l. quisquis. 28. l. si quis. 35. §. sed si. 5. C. de don. Cujacius lib. 18. obs. 24. Conanus lib. 3. Com. jur. civ. c. 10. n. 12.*

LXI. Alterum commodum existimamus cum *Donellō* *lib. 10. Com. jur. civ. c. 7.* consistere in adminiculis ususfructus, quæ usufructuario profunt, ad hoc, ut re fructuariâ benè uti frui possit: *l. si fundo. 1. §. ususfructus. 1. ff. si usufr. petetur.* frustra enim res alioquin conceditur, nisi simul omnia concedantur adminicula, sine quibus res prodesse nequit. *arg. l. cum jurisdictione. 2. ff. de jurisdictione. l. item. 3. §. qui habet. 3. ff. de S. P. R.*

LXII. Primum adminiculum est usus rei fructuariæ, qui est qualitas percipiendi commoditatem ex re fructuariâ, secundum conditionem illius. *l. sed si. 15. §. mancipiorum. 1. ff. de usufr.* Itaque concedere debet proprietarius usufructuario omnia ad ritè fruendum necessaria, licet in concessione ususfructus verbis nuncupata non sint; veluti aditum ad rem usufructuariam, servitutes necessarias, modicam coercitionem servorum fructuariorum. *l. sed sicuti. 23. §. quoniam. 1. l. si is, qui binas. 30. ff. de usufr. l. si fundo. 1. §. ususfructus. 1. ff. si usufr. pet. l. gaurus. 10. in fin. ff. de S. U. P. l. servum. 44. §. si duos. 9. ff. de leg. 1.*

LXIII. Alterum adminiculum est perceptio fructuum, quibus denotatur omnis reditus, omnis obventio, omne denique commodum, quod ex re usufructuariâ nascitur, vel ejus occasione lucro fructuarii cedit. *l. usufr. 7. in pr. l. item si fundi. 9. pr. l. arbores. 59. §. quicquid. 1. ff. de usufr. l. in pecudum. 28. ff. de usuris. l. uxori. 37. l. usufructu. 42. ff. de usu & usufr. leg. Castillo de usufr. c. 36. Garfia de expensis & meliorat. c. 23. n. 1. in fin. Thomingius decis. 12. n. 2.*

LXIV. Cùm autem fructuum aliqui sint naturales, nonnulli industriales, alii civiles, *l. si navis. 62. ff. de R. V. l. bonæ fidei. 48. pr. ff. de A. R. D. Gœhausen p. 1. peric. Acad. 7. q. 50.* pro regulâ tenendum: fructuarium lucrari fructus omnes, non solum naturales, verum quoque industriales & civiles.

LXV. Fructus naturales & industriales, quos usufructuarius lucra-

lucratur, sunt in agris segetes, in arboribus poma, in pecudibus lac, lana, & similia, in apiariis favi. *l. 9. §. 1. ff. de usufr.* ut & lapidicina & fodina. *d. l. 9. in pr. §. 2.* nec non arbores in sylva cœdua, *l. sylva. 10. ff. de usufr.* adeo ut liceat usufructuario etiam immaturos fructus decerpere, *l. in fructu. 42. ff. de usufr. leg.* modo sint ex eo genere, qui toti pertinent ad fructuarium *l. 48. §. 1. ff. de usufr.* atque usufructus duret usque ad tempus maturitatis. *Bachovius in not. ad Treutl. vol. 1. th. 11. lit. a.*

LXVI. Fructus autem civiles, quos capit usufructuarius, consistunt in iis, quæ percipi possunt ex locatione. *l. sed si. 15. §. proinde. 5. l. non utitur. 38. ff. de usufr. l. si quis. 9. §. hic subjungi. 1. ff. locati.* venditione, (vel dominò invito procedente,) *l. arboribus. 12. §. usufructuarius. 2. l. quia quis. 39. ff. de usufr. l. Pomponius. 29. §. sed si. 2. ff. quib. mod. usufr. amittitur. l. necessario. 8. §. cum usufructum. 2. ff. de periculò & commodò rei. vend. donatione usufructus, d. l. 12. §. 2.* hæc enim facere jura usufructuario permittunt, quoad jus suum, quod in re habet, perceptionem nempe fructuum, quod fructuarius duntaxat, nequaquam verò dominium rei, in alium transferre potest. Etenim jus istud percipiendi coheret personæ fructuarii, nec extendit vim suam ultra vitam ejus, sed eâ extinctâ simul extinguitur in personâ illius, qui ab usufructuario illud adquisivit. *l. 65. ff. de jur. dot. Scipio Gentilis de bon. matern. §. 14.*

LXVII. Ad eosdem fructus civiles refertur jus pignoris dandi; fructus enim rei est vel pignori dare licere. *l. fructus. 49. ff. de usuris. Mudeus de Contract. tit. de pignor. Bachovius in Tr. de pignor. & hypoth. lib. 2. c. 6.* Nec inconvenienter iis annumeratur jus patronatus usufructuario omnium bonorum concessum, ideò, quòd jus presentandi sit in fructu, *c. consultationibus. 19. X. de Jure Patronatus.* & jure vindicatur ab usufructuario, omnes fructus lucrante. *l. defuncta. 58. ff. de usufr. Magnificus & Ampli. Dn. Ordinarius & Consul Sigismundus Sinselthaus J. C. tus celeb. in Tr. de Jure Patronatus. c. 6. n. 22.*

LXVIII. Incommoda verò & onera, quæ usufructuarium,

C

ex

ex regulâ eum seqvi incommoda, qui percipit comoda, sustinere æquitas poscit, §. un. *Inst. de leg. patron. tut. l. venditor. 2. §. sicuti. 9. ff. de hered. vel act. vend. l. secundum naturam. 10. ff. de R. J. sunt duplicia, Qvædam enim ipsam ususfructus adquisitionem concomitantur, qvædam eum adqvisitum seqvuntur. Donell. lib. 10. Com. jur. civ. c. 13. Hillig. ibid.*

LXIX. Onus adquisitionem ususfructus concomitans est cautio, quam qvilibet usufructuarius ante traditionem rei præstare tenetur, qvæ principio in legatò usufructu à Prætore introducta, postea ad usumfructum ex qvâcunqve causâ constitutum porrecta est. *l. si cuius. 1. in pr. l. huic stipulationi. 5. §. sed si. ff. usufr. quemadm. cav.* Eâ autem usufructuarius promittere tenetur, se boni viri arbitrature usufructuariâ uti, nec ejus deterio rem causam facere, eandemq; finitò usufructu restituere velle. *l. si cuius. in pr. §. 3. ff. usufr. quemadm. cav. l. si cuius. 23. in pr. ff. de usufr. l. de die. 8. §. tutor. 4. ff. qui satisd. cog. l. usufructu. 4. C. de usufr. c. fin. X. de pignor. Pinellus in l. 1. p. 2. n. 75. C. de bon. matern.*

LXX. Hæc cautio, qvia Prætorica est, non nudâ promissione, non pignoribus, sed solenni satisfactione, seu datis fidejussoribus præstatur. *l. si cuius. 13. in pr. ff. de usufr. l. usufructu. 4. C. eod. ibiq; Sicbardus.* Ut enim aliquando in Prætoriis quoque cautionibus admittantur pignora. *l. hic titulus. 1. §. jubet. 9. ff. de collat.* non aliter tamen id fieri potest, quam si pro re certâ, vel certâ quantitate cavetur, *l. diversum. 2. §. si legatarius. 3. ff. quod legatorum.* pro quantitate verò incertâ, sive omni eò, qvòd interest, ut hîc in usufructu, fidejussores præcisè requiruntur. *l. prætoricæ. 7. ff. de præst. stip. Nov. 95. in epiloge. Sutbolt. in disert. ad Inst. dis. 3. tb. 44.*

LXXI. Adeò autem necessaria est cautio, ut ante ejus præstationem nulla nec petitio nec actio usufructuario adversus proprietarium detur. *l. Julianus. 3. §. offerri. 8. ff. de act. emt. §. vend. l. si usufructus. ff. de usufructu.* *Castillo de usufr. c. 16. Franciscus Marcus decis. Tom. 1. q. 820.* nec testator usumfructum relinquens, aut qvivis eum concedens illam valeat remittere. *l. si pecunie.*

nia. 6. in pr. l. 7. ff. ut in poss. legat. Clarus in §. testamentum. q. 65.
utpote in favorem heredis vel proprietarii introductam, cui ne-
que testator, neque alius quivis, ut favori non suo nihil quicquam
derogare potest. *l. quod bonis. 15. §. frater. ff. ad L. Falcid. Ant. Fa-*
ber. in Jurisprud. Pap. tit. 12. princip. 7. ill. 7. Gail. lib. 2. observ. 145.
Cl. Carpzovius ad Const. Elect. 13. p. 3. def. 12.

LXXII. Et hæc jure stricto & regulariter vera sunt, aliquan-
do tamen regula isthæc limitatur, quinimò in certis personis offi-
cium planè perdit. Primò enim, qui propter inopiam fidejussores
invenire nequit, & ideò stricto jure ab usufructu removendus es-
set, nihilominus admittitur, & si usufructuarius vir bonus & pro-
bata vitæ est, juratoriam cautionem interponit, sin dubiæ fidei
suspectusq; , sequestratur res apud honestum virum, qui ipsi fructus
postea præstat. *arg. l. postquam. 5. §. Imperator. 1. ff. ut legat. seu fidei-*
commiss. nom. auth. generaliter. C. de Episc. & Cler. Vincentius de
Franchis decis. 497. n. 8. Franciscus Marcus decis. tom. 1.
quest. 819.

LXXIII. Deinde pater, qui habet usumfructum in bonis fi-
lii adventitiis, à cautione præstanda immunis est. *l. cum non. 8. §. sin*
autem. 4. C. de bon. qua lib. Molina de J. & J. tom. 1. tr. 2. disput. 8.
eâdem immunitate gaudet fiscus. *l. legatorum. 1. §. si ad fiscum. 18. ff.*
ut leg. seu fideicommiss. Bachovius in not. Tr. vol. 1. disp. 16. thes. 6.
lit. b. Donator item omnium bonorum usumfructum sibi reser-
vans. *l. ad res donatas. 62. ff. de edil. edict. Pinellus l. 1. C. de bon.*
matern. p. 1. n. 80. nec non ille, cui ususfructus purè, proprietatis au-
tem ex die legata est. *l. si ususfructus. 9. §. planè. 2. ff. usufr. quemad. cau.*
Hilliger in Donell. enucl. lib. 20. c. 14. lit. d.

LXXIV. In improprio seu quasi usufructu non secus ac in
proprio cautio interponenda est, non ex Prætoris jussu, verum ex
Senatus Consulto, quò cavere jubetur usufructuarius, se finito u-
sufrectu rem vel ejus æstimationem restitutum. *§. constituitur. 2.*

Instit. de usufr. l. sed de pecuniâ. 2. §. quò Senatus Consulto. 1. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum. Gail lib. 2. obs. 46.

LXXV. Et hanc cautionem quasi usufructuariam nonnulli Dd. opinantur esse de substantiâ usufructus, sed malè ab ipsis duæ diversæ quæstiones confunduntur, si enim quæritur, an in quasi usufructu ante traditionem rei necessariò interponenda sit cautio? res expedita est, nam ita quoque in verò usufructu requiritur. *l. si cuius. 13. in pr. ff. de usufr. l. usufructu. 4. C. eod.* alioquin vindicari, *l. si ff. usufr. quemadm. cav.* & utrobique ipsa cautio condici potest. *d. l. 7. l. hoc Senatus Consultum. 8. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consumuntur.* ceterùm hanc cautionem ipsam formam quasi usufructus constituere, probabile non est, cum cautio ista remedii locò interponitur, in eventum & casum dissolvendi usufructus. *l. 2. §. 1. l. 7. §. 9. ff. de usufr. ear. rer.* quâ tamen omisâ quasi usufructus nihilominus subsistit. *l. 5. §. 1. ff. de usufr. ear. rer.* *Timæus Faber in Diss. annivers. disp. 15. th. 12. Lycklama lib. 7. Membr. Eclog. 29.*

LXXVI. Incommoda porrò & onera, quæ usufructum adqvisitum sequuntur, vel in omittendo, sive non-faciendo, vel in faciendo consistunt: illa leviora *Donello lib. 10. Com. jur. civ. c. 13.* appellantur, & sunt ea incommoda, quæ fluunt ex obligatione, quâ is, qui re alienâ utitur, domino tenetur, scilicet, ne usufructuarius in re fructuariâ faciat, unde deterior fiat conditio proprietarii. *l. sed si. 15. §. 1. ff. de usufr.* nevé præter naturam usufructus re fruatur utatur, quod facit vel mutatione, vel transformatione rei fructuariæ. *l. usufructu. 7. §. fin. l. quamvis. 8. ff. de usufr.*

LXXVII. Ex oneribus, quæ fructuario ferenda sunt ex sententiâ *Donelli d. l.* Primum est cura & custodia rei fructuariæ: debet enim eâ uti ceu bonum & diligentem decet patremfamilias, *l. sed cum. 65. in pr. ff. de usufr. l. 1. §. 2. ff. usufr. quemad. cav.* Eaquæ propter omnia damna, quæ culpâ levi, vel suâ, vel suorum rei fructuariæ obveniunt, resarcire tenetur. *l. si ut certo. 5. §. nunc videndum. 2. ff. commodati. l. cum duobus. 49. §. damna. 3. ff. pro socio.*

LXXIIX.

LXXIIX. Debet ergò prospicere, ut res fructuaria facta te-
ctaq; conservetur, aut rupta vel labefactata suæ integritati resti-
tuatur, *l. eum. 7. C. de usufr.* Hinc ædes ruinosas reficere. *l. usufructu.*
7. §. 2. & 3. l. si extra. 40. §. 1. ff. de usufr. si refectio illa sit modica, (aliàs
sumtus imputandi sunt proprietario,) *Garsias de expens. &*
meliorat. c. 11. n. 3. arbores in locum demortuarum restituere. *l. agri.*
18. ff. de usufr. gregem supplere & nova capita substituere. *l. sed si*
gregis. 39. Inst. de R. D. l. vetus. 68. §. 1. ff. de usufr. nisi fortè grex una vi-
ce totaliter fuerit interemta, tunc enim (cùm ex grege supplen-
dus sit, *d. l. 68. §. 1.*) ad nova substituenda non obligatur. *Cl. Carp-*
zovius ad Const. El. 26. p. 1. def. 9.

LXXIX. Alterum onus usufructuarii est, ut onera realia
prædiorum sustineat; itaq; vectigalia, tributa, *l. usufructu. 7. §. 2.*
ff. h. t. ea quæ erogantur, ob transitum exercitus, *l. si pendentes. 27. §.*
si quid. 3. ff. de usufr. leg. & similia (non tamen ultra valorem fru-
ctuum perceptorum. *l. eum apud quem. 7. C. h. t.* *Klock de contri-*
butio. c. 11. n. 130.) exsolvere debet; commoda enim ex fundo perci-
pit, quorum causâ hæc onera imponantur. *l. neque stipendium. 13. in*
fin. ff. de impens. in res dot. fact. itaq; incommoda quoque, ut susti-
neat, æquum justum est. *Garsias de expens. & meliorat. c. 11. n. 45.*
Franciscus Vivius lib. 4. decis. 535. Tertium onus est, ut fini-
tò usufructu eundem constituat. *l. 1. ff. usufr. quemad. cau.*

LXXX. Hoc de actu tranquillæ possessionis, in actu con-
tentiosæ considerandæ sunt actiones, quæ dantur usufructuario,
pro consequendò, retinendò, & tranquillè utendò usufructu.

LXXXI. Pro consequendò usufructu datur actio persona-
lis, si legatus est usufructus ex testamentò, *l. si extraneo. 46. §. si te-*
statores. ff. de usufr. l. si ab herede. 2. ff. si usufr. pet. vel si inter vivos
constitutus sit, ex stipulatu. *l. corruptionem. 16. in pr. C. de usufr.* Pro
retinendò verò datur actio realis, confessoria dicta, §. *æquè. 2. Inst.*
de Act. tam adversus ipsum proprietarium vel alium quemcunq;
qui usufructum possidet vel quasi, à quibus hoc remediò vindi-
catur.

catur. *l. cujuscunqve. 60. §. si fundus. 1. ff. de usufr. Meierus in Coll. Argent. lib. 7. tit. 6. th. 9. & 10.*

LXXXII. Quid si in utendo fruendo usufructuarius ab aliquo turbatur, vel damno aliquo adficiatur, tunc ad tranquillam fruitionem obtinendam alie actiones comparatae sunt; Nimirum, si vi dejectus sit possessione usufructus, interdictum unde vi. *l. quod est. 1. §. unde vi. 13. & §. uti frui. 14. C. si plures. 9. §. dejectum. 1. ff. de vi & vi arm.* si damno res usufructuaria adfecta actio legis Aquiliae. *l. item mela. 11. §. an fructuarius. 10. ff. ad L. Aquil.* si controversia vel cum proprietario, vel vicino circa fines, actio finium regundorum, *l. sed & loci. 4. §. 9. ff. finium regundorum.* etiam actio furti, si res furto ablata, & possessio (ac consequenter usufructus) ejus interversa sit. *l. arboribus. 28. Julianus. 5. ff. de usufr.*

LXXXIII. Denique in $\sigma\kappa\epsilon\iota\psi\epsilon\iota$ hanc usufructus superest actus privationis, sive cognoscendum, quomodo usufructus finem sortiatur. Cum enim in usufructu omne sit emolumentum, *l. Mevius. 66. §. pen. ff. de leg. 2.* ne in univsum inutilis esset proprietas, semper abscedente usufructu. *§. ne tamen fin. Inst. de usufr.* introducendi erant à jure modi certi, quibus jus illud utendi fruendi servitus factum exspiret, & cum proprietate vicissim uniatur, quæ res consolidatio appellatur. *d. §. fin.* Hi verò modi oriuntur ex causis vel intrinsicis, vel extrinsecis usufructum.

LXXXIV. Causa destruens usufructus intrinsicis sive ex ejus formâ nata, est lapsus temporis, si enim sub certâ conditione legatus est usufructus, existente eâ, extingvitur. *l. si sub conditione. 16. ff. quib. mod. usufr. amitt.* vel conventionali constitutioni dies vel conditio inserta reperitur, existente die vel conditione ipso jure finitur. *l. cujus usufructus. 30. ff. de usufr. leg. l. si pater. C. de usufr.*

LXXXV. Causæ destruentes extrinsecus ortæ proveniunt ex subjectis. Et quidem causæ ex subjecto $\pi\epsilon\acute{o}\varsigma\ \tau\iota$ prognatae sunt 1. interitus vel mutatio rei. *l. repeti potest. 5. §. rei mutatione. 2. l. quib. tamen. 10. §. non tantum. 1. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Est enim usufructus jus in corpore, quò sublatò ipsum interire necessum est. *l. 2. ff. de*

de usufr. Bachovius in §. fin. Inst. de usufr. Hæc ita si totalis sit interitus, alioquin parte quâdam pereunte in superstite parte usufructus remanet. *l. si cui. 60. ff. de usufr. Castillo de usufr. c. 72.*

LXXXVI. 2. Captura hostilis rei fructuariæ, si res fructuaria in bellô ab hostibus capta sit, & intra eorum præsidia delata vel iisdem munita. *l. si ager ab hostibus. 26. ff. quibus mod. usufr. amitt.* quod enim quisque in bello hosti eripit, ejus dominus jure Gentium fuit, *Grotius de Jure belli ac pacis lib. 3. c. 6.* jureque belli illud retinet, & alter proprietatem amittit. *l. 5. §. item. 7. l. adeo. 7. in pr. ff. de A.R.D.* ita tamen hõc modõ finitur usufructus, ut si res capta redeat, vel recuperetur, ille vicissim jure postliminii reviviscat. *§. si ab hostibus. 5. Inst. quibus mod. jus patr. pot. solv. l. postliminium. 5. §. 1. de capt. & postlim. reversis. Donell. lib. 10. Com. jur. civ. c. 18.*

LXXXVII. Interitui usufructus ex parte subjecti *à vltis q̄t* *Φορ* causam præbet, vel fatum, vel factum usufructuarii. Facto adscribimus ejus mortem vel naturalem, quæ usum fructum non aliter ac reliqua, quæ personæ coherent, extingvit. *§. fin. Inst. de usufr. l. sicut. 83. §. morti. ff. quibus mod. usufr. amitt. l. corruptionem. 16. in pr. C. de usufr.* vel civilem, capitis puta diminutionem maximam & mediam jure novõ, *d. §. fin. l. 1. §. 3. ff. quibus mod. usufr. amitt. l. penult. C. de usufr.* nec non bannum imperiale: Hodiè enim banniti imperio cum bonorum publicatione civiliter mortuis adduntur, ut communiter opinantur Dd. *Fason in auth. non licet. C. de lib. præc. Bachov. in not. Tr. vol. 1. disp. 16. th. 14. lit. d.*

LXXXVIII. Morte quoque finitur usufructus relictus illis, qui mori non possunt, ut sunt Ecclesiæ, Civitates, municipia, collegia &c. non quidem civitatis vel alius ejusmodi corporis, sed tantõ tempore, quantõ viveret homo, etiam longævus, quod usque ad centum annos leges computant. *l. an usufructus. 56. ff. de usufr. l. si usufr. 8. ff. de usu & usufr. leg. l. ut inter. 23. pr. & §. 1. C. de SS. Eccles. Magnificus Dn. Ordinarius & Consul Dn. Sigismun-*

Gismundus Sinckelthaus *Actus* in *obs. pract. observ.* 100.

Aliquando evenit, ut civitas civiliter emoriatur, nempe, si aratrum passa sit, & tunc quoque extingvitur ususfructus ei competens. *l. 21. ff. quib. mod. ususfr. amitt.*

LXXXIX. Factum usufructuarii, quò usumfructum perdit, duplex est, adfirmativum sive commissionis, cujusmodi est cessio, scilicet domino proprietatis, quâ cum proprietate consolidatur, *S. fin. ff. de usufr. l. 66. ff. de jur. dot. Riemer illustr. controv. dec. 4. q. 2.* & negativum sive omissionis, quale admittit non utendo usufructu; *l. usumfructum. 20. l. Pomponius. 29. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* Ac olim quidem in rebus soli biennio, in rebus mobilibus autem anno non utendo amittebatur. *Paul. 1. sent. tit. 17.* hodiè verò ex constitutione Justiniani perditur non utendo inter præsentes decennio, inter absentes verò vicennio. *l. pen. C. de usufr. Conan.*

lib. 4. Com. jur. civ. c. 7. Donellus lib. 10. Com. c. 17. ibiq. Hiliger in not. Castillo de usufr. c. 67. Covarruvias var. lib. 1. c. 47.


n. 1.


F I N I S.



X2615937

Von





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ridicarum

INTA 1643

M
30/
12
/

CTU,

Dnⁱ Ord-

ioris, nec non

includæ Facul-

Philureâ

rtii

ni Petrini

or,

WIRTH,

TE

newaldt/

scheus/

